ac conditionis tandem ille fuerit irremissibiliter Sumus exacturi

Libertas damnum ab igne passis

Henricus etc. Significamus etc. Quia nos rationem habentes calamita-
tis et inopiae Subditorum nostrorum oppidanorum N. ad quam damno
suorum ab incendiis sumpto nondum resarcito inter his nuper transactis
diebus per ignis violentiam devenerit Cupientesque eorum faculta-
tes et fortunas vix non penitus collapsas aliqua ex parte gratia nostra
sublevare eisdem oppidanis damna tantummodo passis plenariam
immunitatem et libertatem ab omnibus et singulis Contributionibus
exactionibus vulgo Szosz dictis census Podwodis Theloneis fo-
ralibus Stationibus Datijs tributis laudatis vel in posterum qua-
cunque de causa pro nostra et Reipub. necessitate laudandis et gene-
raliter a quibusvis oneribus nostris quibuscunque vocitentur no-
minibus Nobis vel Capitaneis nostris N. antea pendi solitis dari
et concedere duximus damusque et concedimus hisce literis nostris
hinc ad decursum etc. annorum sese immediate sequentium duraturam
Quocirca omnibus et singulis dignitarijs Exactoribus Theloneatoribus
et quibuscunque officialibus nostris nominatim vero Generoso N.
Capitaneo N. Capitaneoque etc. moderno et pro tempore existenti ad
notitiam deducentes Mandamus quatenus praefatos oppidanos N.
qui ex causa praemissa omnia a nobis gratiose data et concessa
libertate ad tempus suprascriptum conservetis conservarique ab a-
lijs faciatis

Donatio bonorum Regalium post patratum homicidium.

Significamus etc. Quod cum N. nefario quodam spiritu ductus
Nobilem N. Vitricum suum intercepisset et interfecisset atque ob
huiusmodi immane scelus patratum bona sortis eius in Villa N. in
Pallatinatu N. et districtu N. consistente ac alia omnia bona eius
tam mobilia quam immobilia per eum ubicunque locorum habita et posita ad
nos et Fiscum nostrum dispositionemque nostram Regiam iure caduco devolu-
ta essent Nos ad supplicationem et intercessionem certorum
Consiliariorum nostrorum pro nobili N. ad nos facta Ea ipsa bona
omnia tam mobilia quam immobilia quaecunque in praedicta villa N. ac
ubicunque locorum idem N. habet et possidet eidem N. et eius
legitimis successoribus de nostra speciali gratia et munificentia Regia
dari donari concedere esse duximus uti quidem damus do-
namus et conferimus titulo perpetuo et irrevocabilis donationis
praesentibus literis nostris Cum omnibus eorundem bonorum per-
tinentiis sortis agris fundis pratis sylvis borris piscinis lacubus
ac usibus fructibus proventibus et obventionibus universis nul-
lis prorsus pro nobis et pro usu nostro reservatis ita late longe
et circumferentialiter prout eadem bona antiquitus consistebant

384